29

# DISPUTATIO
*DE*
# DENTIBUS
Tertia:

*Continens πραγματολογίας partem tertiam, quæ de Dentibus agit in ſpecie:*

In alma Argentoratenſium Univerſitate publici exercitij gratia propoſita

*à*

MELCHIORE SEBIZIO, MEDICINAE DOCTORE AC PROFESSORE,
Comite Palatino Cæſareo, & Reipubl. Archiatro:

*RESPONDENTE*

CONRADO SCHUSLERO,
Rauſchenbergenſi-Haſſo.

*ARGENTORATI,*
Typis EBERHARDI WELPERI,
*M. DC. XLIV.*

# VIRIS

*Admodùm Reverendis, Ampliſsimis, Conſiliis & Experientiâ Excellentiſsimis, Clariſsimis,*

DN. JOHANNI GEORGIO DORSCHEO, SS. Theol. Doct. & Prof. celeberrimo, & Eccleſiaſtæ vigilantiſſimo:

DN. JOHANNI DANIELI Horſt/ Med. Doctori, Auliatro Haſſo Darmſtatino, ac in Inclyta Marpurgenſi Academ. Profeſſori ordinario:

DN. NICOLAO AGERIO, Med. Doctori eximio, ac Practico apud Argentinenſes feliciſſimo:

DN. JOHANNI TILEMANNO, Med. Doct. experientiſſimo, & Profeſſ. in alma Marpurgenſi ordinario:

DN. DAMMIO SCHUSLERO, Paſtori in Ymmen/ Haſſiæ inferioris digniſſimo, Cognato ſuo plurimùm honorando:

DN. JOHANNI PHILIPPO CROLLIO, Authoritate Imperiali Notario, Wetteris, Haſſiæ ſuperioris, Agnato ſuo dilectiſſimo:

DN. JACOBO Kercher/ Civi ac Mercatori Reip. Argent. haud poſtremo, Patrono ac Hoſpiti ſuo obſervandiſſimo:

Nec non

*Prudentiſsimis, Spectatiſsimisq; Reip. Rauſchenbergenſis*

DNN. QUAESTORI, PRAETORI, CONSULIBUS ac SENATORIBUS omnibus ac ſingulis,

*Dnn. Mæcenatibus, Patronis, Præceptoribus, Promotoribus, & Fautoribus ſuis immortali reverentiæ cultu ſuſpiciendis, Diſputationem hanc Medicam in gratæ mentis ac debitæ obſervantiæ τεκμήριον offert, dicat & conſecrat*

CONRADUS SCHUSLERUS,
Reſpondens.

# THESIS I.

ABſolvimus partem theoriæ Dentium generalem: ſequitur ſpecialis: de qua hac diſputatione agemus.

II. *Sunt autem in homine pro ratione triplicis figuræ, ſitus, & officij dentes triplices:* Inciſores, Canini, & Molares. *Nam* Genuini *ſub molaribus comprehenduntur.*

III. *Quatuor differentiarum meminit* Ariſtoteles lib. 2. hiſt. an. cap. 1. 2. & 4. Galenus *verò* lib. de oſſib. cap. 5. lib. 11. de uſ. part. c. 8. & lib. de vivor. anatom. *trium tantùm mentionem facit: quia genuinos ſub molaribus complexus eſt.*

IV. Inciſores *nomina habent benè multa. Vocantur ab* Iſidoro lib. 11. de orig. cap. 1. præciſores: *à Græcis* τομεῖς, τομικοὶ, ἢ τεμνικοὶ, *à verbo* τέμνω, *ſeco, officij cauſa: quoniam omne, quod accipitur, inquit* Iſidorus, *ipſi priùs incidunt. Appellantur &* διχαστῆρες, *à verbo* διχάζω, *quod ſignificat in duo divido, diduco, ſeparo: quoniam* διχάζουσι, *ſeu* διαιροῦσι *&* τέμνουσι τὸ προσπεσὸν, *dividunt & diſſecant quod ipſis oblatum. Item,* πρόσθιοι, anteriores, *ratione ſitus: quia anteriorem oris partem occupant. Adhæc* πλατεῖς, lati: *quia ſuperna eorum pars lata. Prætereà* κτένες: *quoniam lævore & latitudine pectini ſimiles. Inſuper* ὀξεῖς, *quia cultri, gladiive in modum tenui ſunt acie præditi. Tùm* primores à C. Celſo: *duplici de cauſa: & quòd utplurimùm erumpant primi: & quòd primi nobis occurrant. Vulgus illos* γελασῖνους, riſorios, *à verbo* γελάω, *quod eſt rideo, nominat: quia, cùm ridemus, primi deteguntur.* Galenus l. de oſſib. c. 5. μονοῤῥίζους *eos nuncupat; quia una ſimplicique radice conſtant, ſicut & canini.*

V. *Numero ſunt octo: in qualibet mandibula quatuor. Eſtque numerus iſte frequentiſſimus. Scribit tamen* Gorræus, *aliquos pro his quatuor, ſive ſupernis, ſive infernis, duos tantùm habere: ſed ferè tàm latos, ut ſpatium 4. dentium æquent, eorumq́ officio fungantur.* Idem *author eſt, quibuſdam pro 4. inciſoriis 6. 8. atq́ etiam plures, nullo ſæpè ordine collocatos, tributos eſſe: ſed partim rectos, partim foràs ſpectantes, partim introrſum ad oris capacitatem vergentes, & tùm manducationem, tùm pronunciationem vitiantes, ut eos vel evellere, vel urere, vel tenui atterere lima ſit neceſſe. Nos non ita pridem in Nobili quodam Adoleſcente 6. vidimus: 4. ordinarios, & poſt illos, palatum verſus, adhùc 2. alios: quos, quia ipſum in locutione impedirent, extrahi ſibi volebat.*

VI. *In aliis animalibus numerus inciſorum aliter ſe habet. Sciuris utrinq́ ſunt bini. Canibus utrinq́ ſeni. Ruminantibus 4. tantùm in maxilla inferiore. In ſuperiore enim inciſoribus carent. Vtrinq́ ſimiliter bini ſunt, iiq́ longiſſimi & firmiſſimi, Fibro, ſeu Caſtori: ita etiam acuti, ut iis, ceu gladio, ſecare ligna queant ſolidiſſima. Eodem modo & Lepori, & Hyſtrici, & Muri montano, ſive Alpino, quem Marmotam, nos* Murmelthier *vocamus.*

VII. *Cauſa diverſitatis deſumitur ex oris amplitudine & officij ratione.*

VIII. *Breviores ſunt caninis: longiores autem molaribus. Quibuſdam animalibus, ut dictũ, longiſſimi & fortiſſimi: ut Fibro, Sciuro, Erinaceo, ſive Echino, quibus duriſſima quæq́ arrodunt.*

IX. *Externa illorum ſuperficies, quæ labia reſpicit, aliquantulum gibba eſt, & lævis: interna, quæ linguam & fauces ſpectat, quodammodò ſima. Infrà ſunt* στυλοειδεῖς, *acuti, ſtyli in modum: unicamq́ radicem habent, qua velut clavi alveolis ſuis infiguntur. Suprà lati atque acuti, ut inſtar cultrorum ſecare & dividere queant.*

X. *Egrediuntur citiùs, quàm canini & molares. Et primi*

*quidem*

*quidem in conſpectum veniunt inciſores maxillæ ſuperioris. Poſteà etiam inferioris apparent. Obſervantur tamen primi etiam maxillæ inferioris. Excidunt quoq; ſuperiores inciſores citiùs, quàm inferni. Illi quippe penduli ſunt: proinde facilè decidui: hi contrà ſeßiles.*

XI. *Cur autem inciſores priùs erumpant, quam molares, cauſa triplex eſt, inquit* Ariſtoteles lib. 5. de generat. an. cap. 8. *I. quia eorum quoq; officium prius eſt. Secatur enim priùs, quàm molitur, quod comeditur. At maxillares dentes molendi officio delegati ſunt: inciſores ſecandi. II. quia inciſores molaribus ſunt minores. Atqui res minores, etſi ſimul inchoëntur, celeriùs tamen perfici ſolent, quàm majores. III. quia os maxillæ in latere eſt latum: circa os anguſtum. Ideóque ex ampliore plus alimenti affluit: ex arctiore minus.*

Alij *tres alias quæſiti rationes adferunt. I. quia inciſores ſunt cæteris dentibus acutiores. Ideóq; citiùs gingivas diſſecant. II. quia os maxillæ ea parte, cui inciſores inhærent, eſt tenuius. III. quia major eorum ad vocis articulationem eſt neceßitas.*

XII. Canini, *κυνόδοντες, dicti ſunt, quòd canum dentibus ſimiles ſint: authore* Galeno lib. de oſſib. cap. 5. *Vocantur & ὀφθαλμικοὶ, oculares, partim quia oculis ſunt ſuppoſiti: partim quia in eos nervi oculos moventis portio fertur, cujus nomine illorum extractionem Anatomici cenſent periculoſam. Oculi namq; in conſenſum trahuntur. Vulgus, inquit* Iſidorus l. 11. orig. cap. 1. *colomellos nuncupat: quia longi atq; rotundi.*

XIII. *Homini 4. tantùm ſunt: in qualibet maxilla gemini: una radice præſepiolis ſuis inhærentes: propterea, ut inciſores, à* Galeno *μονόρριζοι nominati.*

XIV. *Sunt autem illorum radices cæterorum dentium radicibus longiores, altiuſq; infixæ. Quodſi ſuperiores cum inferioribus comparentur, deprehendemus, ſuperiorum radices & longiores, & acutiores eſſe, quàm inferiorum.*

XV. *Sed non ſolùm longiores ſunt inciſoribus, verùm*

*etiam craſsiores fortioreſq́; quia illorum officium eſt laborioſius & operoſius: duriora ſcil. confringere: inciſorum ſecare atq́; dividere.*

XVI. *Lati ſunt in baſi: parte ſuperna acuti.* Galen. l. 11. uſ. part. cap. 8. *Deſinunt enim in acutum mucronem faſtigiati.*

XVII. *Sejungunt inciſores à molaribus: quia inter illos medij. Quod propter duritiem & ſoliditatem ab inciſoribus ſcindi nequiit, id ipſi, uti dictum, confringunt:* Gal. l. 11. uſ. part. c. 8.

XVIII. *Cùm pueri illos edunt, graviter laborant, inquit* Hippocrates aphor. 25. ſect. 3. *Ait enim, fieri quidem adventante dentitionis tempore gingivarum pruritus, febres, convulſiones, alvi profluvia: præcipuè tamen, cùm canini dentes erumpunt. Cauſam exponemus, cùm de affectibus dentium acturi.*

XIX. *Canes, lupi, & quædam animalia alia, utrinq́; plures habent dentes acutos, quoniam ferocia ſunt, & non ſolùm dentibus ſe defendunt, ſed etiam alia invadunt, iisq́; vim inferunt. Homini 4. tantùm ſunt: quia animal civile eſt atq́; manſuetum: cujus robur & vires in ſapientia, non in corporis fortitudine conſiſtere debebant: authore* Galeno lib. 11. uſ. part. cap. 9. *Ideóq́; 4. ſufficiebant homini ad frangendum ea, quæ ſunt duriora. Manus inſuper homini Natura dedit: quæ ὄργανα ſunt ὀργάνων. Illis enim non ſolùm quævis armorum genera regere & gubernare, verùm etiam efficere poteſt: adeò ut eleganter dixerit* Ariſtoteles lib. 4. de part. an. cap. 10. *manum & unguem eſſe, & ungulam, & cornu, & haſtam, & enſem, & quodvis aliud armorum genus, aut inſtrumentorum: ſcil. non in ſenſu formali, ſed cauſali, ratione nimirùm uſus & fabricationis: quemadmodum etiam diſp. 1. θ. 148. monuimus.*

XX. *Hanc ob cauſam, inquit* Galenus ibidem, *Naturam inciſores duplo plures fecit: quòd eorum utilitas latiùs pateret, quàm caninorum. Et plures adhùc molares: quòd ipſorum utilitas pateret latiſsimè.*

XXI. Plinius lib. 7. c. 16. *tradit geminos caninos in parte dextra maxillæ ſuperioris fortunæ blandimenta polliceri: idq́;*

*exem-*

*exemplo* Agrippinæ, *Matris* Domitij Neronis, *confirmat. Infortunium autem portendere in læva. Nos dictum* Plinij *relinquimus in medio, quia cauſam ignoramus.*

XXII. Molares *dentes* maxillares, clavales, & mandibulares: Ciceroni l. 2. de nat. Deor. genuini: *Græcis verò* μύλαι, μυλίται, καὶ μύλιοι: Ariſtoteli γόμφιοι: Rufo τράπεζαι, *menſæ: aliis plani, lati, &* φραστῆρες *dicuntur.*

XXIII. *Nomina iſta ſortiti ſunt à figura, ſitu & officio.*

XXIV. *Molares enim vocantur* μεταφορικῶς, *teſte* Galeno lib. de oſſib. cap. 5. *Nam quemadmodum Cerealia ſemina à molis atteruntur, & in farinam convertuntur: ita cibi ſolidiores à dentibus iſtis comminuuntur & quaſi lævigantur.*

XXV. *Maxillares & mandibulares dicuntur, non quòd ſoli maxillis & mandibulis inhæreant: (iis enim inhærent omnes) ſed quòd propter amplitudinem, & numerum maximam earum partem occupent.*

XXVI. *Clavales appellantur, quia inſtar clavorum foſſulis maxillarum inſeruntur: quæ tamen ratio etiam cæterorum eſt dentium.*

XXVII. *Menſæ nuncupantur, tùm quia ſumma illorum ſuperficies menſæ in modum lata eſt: tùm quia ut menſæ pluribus radicibus, veluti pedibus innituntur.*

XXVIII. *Plani & lati nominantur, propter figuram: quia ſupernas partes valdè latas & amplas habent.* φραστῆρες, *elocutores, indicatores, explicatores: quoniam muſsitantes pueri illis emergentibus fari ſolent. Nam* Author lib. de nat. & ord. *cujuslibet corporis* cap. 2. *in fine ſcribit, infantes vagire, quando nondum dentes habent. Muſsitare, quando duos quatuórve ſunt conſecuti. Loqui verò, cùm dentes os impleverunt.* Septennij dentes à *quibuſdam vocantur.*

XXIX. *Magnitudine, quo ad latitudinem, inciſores & caninos ſuperant. Ipſi tamen inter ſe æquales non ſunt: ſed*

*medij ſunt majores: maximus, qui à canino tertium locum inter molares tenet.*

XXX. *Numero ſunt plures, quia debuerunt eſſe molæ: & quia ob continuum uſum cæteris dentibus faciliùs & eroduntur, & franguntur.*

XXXI. *Numerus autem eorum definitus non eſt, ſicut inciſorio [illegible] caninorum, neq; æqualis in omnibus. Qui longiores habent maxillas, inquit* Galenus lib. 11. de uſ. part. cap. 9. *in quolibet latere cujuslibet maxillæ quinq; molares ſortiti ſunt. Qui breviores, quatuor. Maxima tamen ex parte quinq; ſunt, ait idem: neq; unquam reperies quatuor in ſiniſtro, quinq; in dextro latere: aut contrà: aut in maxilla ſuperiore quinq;, in inferiore quatuor, ſcil. in quolibet latere. Scribit tamen* B. Euſtachius lib. de dentib. c. 9. *ſe in quodam Cardinali tres tantùm molares obſervâſſe, quem numerum cenſet eſſe minimum omnium: cauſamq; arbitratur eſſe, vel maxillarum brevitatem: vel materiæ inopiam: vel plaſticæ facultatis infirmitatem.*

XXXII. *Numerus radicum etiam variat. Variat & earum figura, & magnitudo in longitudine, latitudine & craſſitie. In ſitu quoq; aliqua eſt differentia: quoniam quædam contiguæ ſunt, quædam disjunctæ: quæ, ſi dentes inſtrumento Cheirurgis conſueto extrahantur, facilè franguntur in medio, hominemque poſteà graviter affligunt.*

XXXIII. *Ajunt tamen, primum molarem maxillæ ſuperioris, qui utroq; in latere caninis eſt proximus, radice conſtare gemina: tres ſubſequentes tribus: ultimum, qui genuinus eſt, ut mox dicemus, quatuor: quod tamen perpetuum non eſt. Contrà, molares primos inferioris maxillæ, qui caninis contigui ſunt, una tantùm: tres reliquos duabus.*

XXXIV. *Volunt enim, radices molarium ſupernæ mandibulæ & plures, & longiores eſſe, quàm infernæ. Ratio eſt duplex. I. quia os maxillæ ſuperioris mollius eſt atq; rarius: denſius contrà duriúsq; inferioris. Ideóq; illius molares requirebant radices longiores,*

*giores, ut altiùs inſigerentur: & plures, ut inhærerent firmiùs. Hujus non item: quia os durius ſolidiuſq; infixos dentes validiùs continere poteſt. II. quia illius dentes ſunt penduli, & propter gravitatem in caſum proni. Hujus ſeſſiles. Quare illius molares meritò & prolixiores, & plures radices deſiderabant.*

XXXV. *Sunt molares figura quadrata: unde quadrangulares audiunt: ſcil. qua parte extra gingivas prominent. Exquiſitiùs tamen tales ſunt 3. poſteriores, quàm qui caninis vicini.*

XXXVI. *Suprema eorum ſuperficies aſpera eſt & inæqualis. Attritione autem tandem æquatur: ut patet in ſenibus. Nam ſi lævis fuiſſet, inquit* Galenus lib. 11. uſ. part. cap. 8. *dentes iſti ſuum facere officium commodè nequiviſſent: eò quòd omnia ab aſperis & inæqualibus corporibus meliùs conterantur. Unde & molitores lapides ſuos molares, cùm diuturno uſu lævigati ſunt, malleis ferreis rursùs excidunt atq; exaſperant.*

XXXVII. *Non ſolùm autem aſperi ſunt molares, verùm etiam duri. Nihil enim, ait idem* Galenus ibid. *efficerent: imò priùs attererentur, quàm cibos comminuerent.*

XXXVIII. *Sed & latos eos eſſe decebat, ſubdit* Galenus. *Debebant enim cibos lævigare. At quæ lævigandа, ea latis firmata eſſe baſibus oportet. Lata namq; quæ ſunt, faciliùs excipiunt, & excepta fideliùs retinent. Quæ cauſa eſt, quòd in primoribus & caninis lævigari nihil poſſit, quoniam ſunt anguſti.*

XXXIX. *Deniq; conveniebat molares eſſe magnos, ut brevi temporis ſpatio cibaria lævigari poſſent. Parvi namq; parùm lævigant: & quòd lævigant, non niſi longo temporis tractu lævigare ſolent. Siti ſunt omnes in intimiore & poſteriore oris parte: ſicuti primores in anteriore, quam vocare ſolent externam.*

XL. *Uſus eorum ex dictis liquet. Eum etiam* Cicero l. 2. de Nat. Deor. *eleganter exprimit hiſce verbis. Dentibus in ore conſtructis manditur, atq; ab his extenuatur, & molitur cibus. Acuti morſu eſcas dividunt: intimi autem conficiunt, qui genuini dicuntur.*

XLI. *Videntur autem* Genuini *quibuſdam dicti, quòd à genus pendeant.* Ariſtoteles lib. 2. hiſtor. an. cap. 4. *eos vocat* τελευταῖες, *noviſſimos, quòd ultimi erumpant: &* κραντῆρας, *quòd ſoleant* κραίνειν καὶ ἀναπληροῦν τὴν ἡλικίαν, *ætatem perficere.* Hippocrates lib. de carnib. σωφρονιστῆρας, *dentes ſapientiæ nominat: quoniam ea emergunt ætate, qua homo* σωφρονίζειν, *ſapere incipit: vel quia* τὸ σώφρον τοῦ νοῦ *unà cum illis advenit.*

XLII. *Hi dentes faciunt, ut diſcrepantia quædam inter Authores eſſe videatur. Nam* Galenus lib. de oſſib. *dentes tantùm triplices facit: inciſorios, caninos & maxillares. Alÿ quartos illis addunt, genuinos. Verùm diſſonantia eſt apparens: non vera & realis. Nam* Galenus *genuinos maxillaribus annumerat: Alÿ eos ab iis ſeparant.*

XLIII. Ariſtoteles libro 2. hiſtor. an. cap. 4. *ſcribit, dentes* σωφρονιστῆρας *emergere circa annum circiter* 20. *viris pariter atq; fœminis. Addit tamen & hîc, &* libro 5. de gen. an. cap. 8. *quibuſdam non ſine dolore anno* 80 *exiiſſe: idq; propter alimenti copiam in oſſis amplitudine contentam.* Plinius lib. 11. cap. 37. Ariſtoteli *ſuffragatur.* Avicenna *enaſci dicit anno* 30. *aut* 28. Varro *vult, apparere conſueta naturæ lege anno ſeptimo. Concedit tamen, etiam decrepitis provenire.* Gorræi *ſententia eſt, prodire in conſpectum anno* 18. 26. *etiam* 80. *aliquando* ἀνωδύνως: *ſæpè magno cum cruciatu.* B. Euſtachius *memoriæ prodidit* lib. de dentib. cap. 29. *nonnullis agentibus annum ætatis* 20. *genuinum erutum eſſe dentem, eodemq; renatum alium.* Veſalius *quoq; poſtremum generationis locum genuinis tribuit. Sed addit, emigrare illos quandoq; magno cum cruciatu: quod Medici parùm obſervantes, aut alios dentes evellunt, aut humorum vitio eos infeſtari ſibi perſuadentes, ægros catapotiis, & aliis id genus remediis obruunt:* lib. 1. anat. cap. 11.

XLIV. *Ex dictis conſtat, dentes in univerſum eſſe* 32. *nimirùm* 8. *inciſores:* 4. *caninos:* 16. *molares: &* 4. *genuinos. Hactenùs enim plures regulariter non fuerunt obſervati. Paucio-*

*res*

*res quidem viſuntur in quibuſdam, ſcil,28. aut* 30.Plin.l.7.c.16. *etiam* 16. *in qualibet ponit mandibula,& in univerſum* 32. *Excipit tamen Turdulorum gentem, cui plures fuerunt: ut annotatum diſput. 2. θ. 6.*

XLV. *Verùm genuini potiſſimùm faciunt, ut dentium numerus variet. Illi enim in quibuſdam planè deſunt: in aliquibus tantùm* 2. *ſunt: in pleriſq;* 4. *teſte* Valeſco *loco citato.*

---

# COROLLARIA

## I.

An dentium dolor rheumaticus ſit quædam arthritidis ſpecies? *Videtur ſanè ad illam quàm proximè accedere. Nam quæ ad arthritidis generationem requiruntur, eadem etiam in hac* ὀδονταλγίᾳ *ſe offerunt: nimirùm movens, mobile, viæ, terminus à quo, terminus ad quem, cauſæ materiam gignentes, & eandem, genitam collectamq; ſi ſit, ad fluxum proritantes.* Movens *eſt facultas expultrix: quæ vel ab humoris copia gravata, vel illius mordacitate irritata, eum à ſe propellit.* Mobile *utplurimùm eſt humor ſeroſus: isq; vel ſimplex & ſincerus: vel aliorum humorum ichoribus imbutus.* Viæ, *per quas id fertur, vel manifeſtæ ſunt, nimirùm venæ: vel occultæ, ſcil. pori, ſive meatus partium ſubcutanearum & his proximarum.* Terminus à quo, *caput eſt, quod etiam fre-*

*quenter admodum fons & ſcaturigo eſt arthritidis.* Terminus ad quem, *dentes ſunt, & partes illis vicinæ.* Cauſæ materiam procreantes *variæ ſunt, pro varietate ichorum, quibus ſerum imbuitur: quas brevitatis ſtudio ſilentio nunc involvimus.* Cauſæ genitam materiam ad fluxum incitantes, *ſunt multiplices. Vel enim* illam exprimunt: *ut aër frigidus, & conſtitutio aquilonaris. Vel* fundunt & liquant: *ut æſtus, & fervidioris aëris contactus: qualis eſſe ſolet in æſtuariis & ſtuphis. Vel* attenuant *& ad fluxum paratiorem reddunt: ut frictiones. Vel* vias aperiunt & dilatant: *ut balnea ſicca & humida. Vel* totam humorum maſſam exagitant *atq; conturbant: ut exercitia vehementiora & ira.*

*Neq; objici poteſt, nullum hîc eſſe articulum. Ideóq; nullã etiam arthritidẽ: eò quod hæc ab illo nomen ſuum acceperit. Nam ſi dentes cum alveolis maxillarum junguntur per* γόμφωσιν, *liquet, jungi eos cum iſtis per* ἄρθρωσιν: *& quidem per illam ſpeciem, quæ* συνάρθρωσις *appellatur: cujus ſpecies ſunt tres:* ῥαφὴ, ἁρμονία ϗ γόμφωσις: *quemadmodum diſp.* 2. *theſ.* 103. *dictum.*

*Præter hæc arthritidis requiſita habet* ὀδονταλγία ῥευματικὴ, *de qua impræſentiarũ quæritur, etiam*

*hoc*

*hoc cum athritide commune; quòd arthritidis in modum per intervalla redeat, & quidem ex improviſo: quódq; in ea etiam vicinæ partes in conſenſum trahantur, ſæpéq; tendantur atq; intumeſcant.*

I I.

Quodnam in ὀδονταλγίᾳ ῥευματικῇ ſit ſubjectum? *Subjectum doloris ſunt partes ſentientes: nervi & membranæ. Subjectum cauſæ doloris poſſunt eſſe & partes ſentientes, & ſenſu deſtitutæ.*

I I I.

Utrum maſticatio ſit quædam concoctionis ſpecies? *Negatur. I. quia omnis concoctio peragitur à calore. Maſticatio fit à dentibus, non per modum* ἀλλοιώσεως, *quod ſolus facit calor: ſed per modum* τρίψεως, *contritionis, ſive comminutionis. II. quia in omni vera animalis concoctione nova aliqua ſubſtantia producitur:* χυλὸς *in ventriculo:* αἷμα *in hepate: os, caro, nervus &c. alibi. In maſticatione nihil gignitur novi, ſed ciborum duntaxat quædã fit comminutio. III. quia in quavis concoctione excrementa reſultant. In maſticatione nulla. IV. quia maſticatio præparatio concoctionis primæ eſt. E. non ipſa concoctio. V. quia omnis concoctio, ſive publica ſit, ſive privata, omnibus ætatibus*

*eſt neceſſaria. Maſticatione carere poſſunt infantuli.*

I V.

Num gingivæ reverà carnes ſint? *Non ſunt carnes muſculoſæ: quia fibris carent: neq; voluntarij motus* ὄργανα *ſunt. Non parenchymaticæ: quoniam tales competunt viſceribus. Non glanduloſæ: quia, ſi valent, fungoſæ, raræ, laxæ, & molles non ſunt, ut glandulæ. Sed ſunt carnes ſui generis: ſicut & lingua.*

V.

Cur infantes initiò dentibus careant? *Quia illis neceſſarij non ſunt. Nam neq; loquuntur: neq; ſolidiore cibo utuntur. Matribus etiam in exuctione lactis moleſti eſſent, ſi adeſſent, papillas earum mordendo.*

V I.

Cur ex hydrargyri inunctione dentes ita vacillent, & mobiles evadant, ut aliquando expui poſſint? *Id fit, quia hydrargyrũ per ſalivationem vacuat. Humoribus ergò phlegmaticis & ſeroſis ad os & dentes concitatis, laxantur vincula eorum, ut alveolis firmiter inhærere nequeant. Talis autem vacuandi ratio ſoli hydrargyro, non alij cathartico, eſt conceſſa.*

V I I.

Num limatura dentis apri tantoperè conducat in an-

in angina & pleuritide, uti vulgò creditur? Valleriola *eam habet hiſce in affectibus pro remedio arcano & præſentaneo*, lib. 2. obſerv. 10. *Offert autem illam cum oleo amygdalarum dulcium & ſaccharo cando. Nos, licet ejusmodi remediorum, quæ in albo ſecretorum habentur, probabiles reddere rationes non poſsimus: haud tamen illa aſpernamur. Experientiæ enim in dijudicandis medicamentorum viribus credimus, tametſi nulla evidens appareat ratio.*

VIII.

An dens lupi caninus puerulorum facilitet dentitionem? Plinius, *quem multi immeritò fabularum Patrem & Narratorem vocant*, l. 11. c. 37. *in genere perhibet, lupi dentem caninum dextrum in magnis haberi operibus. Noſtrates verò mulierculæ illum puerulis appendunt, & faciliori inſervire dentioni credunt. Nos idem de illo judicium ferimus, quod de dente apri. Quæritur autem, an occulta, an manifeſta qualitate id præſtet? Reſpondemus utraq;. Occulta, ſicut & alia rerum ſecreta, in alto latet, inquit* Plinius. *Manifeſta dentis iſtius qualitas eſt durities, ſoliditas & lævitas. Durities & ſoliditas facit, ut gingivæ rareſiant & ape-*

*riantur.*

*riantur. Sæpiùs enim affricare illam gingivis ſolent infantes. Lævitas autem in cauſa eſt, quò minùs gingivæ lædantur.*

IX.

Cur dentes adultis rarò admodùm renaſcantur? *Fortè quia materia non ſuppetit. Indies enim oſſa mandibularum, ut partes aliæ, ſicciora evadunt. Et quia oſſa hæc ſicciora fiunt, fiunt etiam duriora ſolidioraq́;, adeò ut ægrè admodùm per illa aliquid tranſire queat. In cauſa quoq; eſſe poteſt vis* πλαστικὴ, *quæ, ut vires aliæ, in provectiori ætate decreſcit & minuitur.*

X.

Cur dentes cæteris oſſibus ſint duriores? *Vt firmiores ſint & robuſtiores. Tales autem eſſe debuerunt propter officium, quo funguntur. Cibos enim non tantùm dividere, verùm etiam confringere, conterere, & quaſi lævigare tenentur.*

FINIS.